

VIII. In Triangulo Sphærico Rectangulo, cujus nullus arcuum sit Quadrans: angulus lateri, quod quadrante minus est, oppositus Acutus est, & ipso latere major; oppositus verò lateri, quod majus est Quadrante, Obtusus est, & ipso latere minor.

Hoc & sequentia V. Theoremata plurimum lucis adferunt ad doctrinam Sphæricam: siquidem ex ijs manifestum fit, quæ inter angulos & latera Triangulorum Sphæricorum Proportio sit, quævè quantitas, ut ex illis Triangulum constitui possit. Cum igitur viderem non minus necessariam esse eorum cognitionem, quam priorum, quæ ex Regiomontano in præcedentem Catalogum collegi, non puto me operæ precium non facturum, si & ista adjecero. Mutuatus autem ea sum ex Clavij *Lib. III. Astrolabij edit. Mogunt. in fol. p. 341. & seqq.* Meum porrò toto hoc Capite propositum est omnia, quæ ad Sphæricorum Triangulorum accuratiorem doctrinam facere videntur, tanquam sub unum intuitum sistere, ne quid incipientibus indictum sit. Rudioribus ergò velim hæc instar principiorum esse, quo nomine etiam nolui Demonstrationibus prolixior esse. Ingeniosiores, quiq; absq; hoc scyrpo natare queunt, rogatos velim, ne sinistrè interpretentur me Demonstrationes omisisse. Ideò enim ubivis Lectorem Meum ad Regiomontanum prius, nunc ad Clavium remitto, ut si certitudini propositionum minus fidat, pondera Demonstrationum apud ipsos Autores pensitet.

IX. In omni Triangulo Sphærico Rectangulo omnes tres anguli quatuor Rectis sunt minores: hoc est, duo Anguli non Recti minores sunt tribus Rectis, seu 270. gradibus.

X. In Triangulo Sphærico Rectangulo Equicruro, si
duo an-